

224.

De tue fidei puritate, qua nos et sacrum Rom(anum) imperium amplecteris incessanter, inconcussam spei fiduciam obtinentes, fid(elitatem) t(uam) ro(gamus) ple(no) cum affectu) sub fidei debito, quo nobis astringeris, te nichilominus obtestantes, quatinus filios tuos dilectos fideles N. sollicitis exhortacionibus ad hoc inducere non omittas, ut ad serviendum nobis et imperio cum armis iuxta informationem t(alis) prompti pronis assurgant affectibus et affectum huiusmodi dilucident clarius per effectum. Propter hoc enim tuis et ipsorum commoditatibus perpetuo volumus intendere et ipsos ulnis amplecti continue gracie singularis. Insuper noverit tua fidelitas, quod nos t(ali) dedimus in mandatis, quod ipse odiosam discordiam, que inter te et t(alem) vertitur, amicabiliter conplanet omnimode et pacem et concordiam inter vos ordinet et disponat.

230.

Opus Dei et hominum ratione suadente perficimus, dum de throno nostre maiestatis elabitur illa iusticie rectitudo, qua fideles nostri et imperii se obtinere letantur ea, que iuris equitas sibi confert. Noverit igitur presens etas et successio futurorum, quod nos nobilis viri t(alis) humilibus precibus favorabiliter inclinati ipsi paterna sua feoda ad ipsum ex morte patris ipsius successione hereditaria devoluta ex consueta benignitate pleno iure concedimus ac ipsum sub prestito fidelitatis homagio investimus liberaliter de eisdem. Dantes sibi etc.

231.

Volentes unicuique in hiis, in quibus sibi suffragatur iusticia assistere et graciosum favorem regium impertiri, fid(elitati) t(ue) seriose com(mittimus) et man(damus) precise volentes, quatinus etc.

238.

Licet reliqua, que dilectionis federibus coniunguntur, quandoque rerum turbine varientur, ipsa tamen fraterne idemnitatis iura propagata ex sanguine nequiunt immutari. Igitur pro G. fratre vestro, qui vobis naturali federe coniungitur, omni qua possumus instancia vos monemus, quatinus eidem paterna feoda sua ad ipsum iure hereditario devoluta studeatis iuris fraternitatis instinctu tam benigne dividere, quod fraterna iura non excedat vestre